4

CARMEN DE LAUDE BONARUM ARTIUM, ET DE DIGNITATE VITAE SCHOLASTICAE, INTERTEXTA GRATULATIONE AD VENERANDOS, VIRTUTE ET eruditione præstantes Viros, quibus ad XXVIII. Ianuarij diem summus in Artium facultate gradus decernebatur.

Autore

Iohanne Vogelio

Dresdense.

LIPSIÆ

IOHANNES RHAMBA EXCUDEBAT POST VIRGINIS PARTUM ANNO

M. D. LXIII.

ANte breui uestro quam carmine grater honori,
Sit mihi fas solidæ, iuuenes, inquirere laudis,
Cur merito nitidum tollamini ad æthera, fontes.
Post ea, si placitum est, quam uita Scholastica cunctis
Ordinibus præstet, fragili meditatus auena
Adijciam. Hæc tenui liceat percurrere uersu.
Aonij præses fontis, seu lucida Deli
Templa colis, seu te Cynthi fastigia montis,
Seu quæcunq; tenet tellus, seu sidus Olympi:
Huc age, te placidum Phyliræis sedibus infer,
Infer, & optatus puerilibus annue uotis,
Hucq; nouem tecum pro consuetudine Musas,
Tum quos prisca duces doctrinæ cunq; uetustas
Agnouit, tibi sacra dies illisq; refulget.
Dum precor hæc, tacitè uellit mihi Cynthius aurem,
Et paucis hodie memorandum uersibus offert,
Vnde sit ingenuis decus artibus, unde uel ortus.
Rumor Atlantiaden Iouis esse ab origine cretum
Asserit, Aegypti quem propter flumina Nymphæ
Lactis ope & molli tenerum pauere farina.
Ille puer primis ubi uix adoleuerat annis,
Vafricies sese diuinaq; semina mentis
Indicio exeruere suo, dum arcana sagaci
Pectore scrutatus, mortali infanda recludit.
Interdumq; Deas, multarum callidus artium,
Ludit, & ipse dolos deceptaq; numina ridet.
Mox ad magnarum sese molimina rerum
Arduus accingit, nec tum puerilia tractat,
Sed quæ posteritas miretur, & omnibus æui
Prædicet, autoris nomen uenerata, diebus.
Res patet exemplo. Cui non uenerabile terræ,
Cuiue parum notum testudinis arbitrer esse.

Nomen

Nomen? in humenti quam natus Pleiade ripa
Inuentam (effusas postquam contraxerat undas,
Pacatoq; iterum currebat flumine Nilus)
Sustulit, & curuo mediam quatit indice, dulces
Et notat aure sonos, mox inter brachia uersat,
Et caput & collum digitis attrectat eburnis,
Turgentemq; suo lateri Deus applicat aluum.
Forma sonusq; placent, iam callidus inuenit usum,
Septenasq; suo intendit discrimine chordas.
Nec mora, dispositos intorquet pollice neruos,
Hocq; sibi inuento lætus placet, ordine fila
Quæq; legit, molles saliunt ad carmina nymphæ,
Ingeniumq; sui secum admirantur alumni.
Mox & opus superi laudant, ipsumq; benigno
Autorem uultu, & multa pietate tuentur.
Ipse sed ante alios Phœbus (cui carmina curæ)
Suspicit, & pueri ingenium amplexatur & artem.
Tradit habere chelyn Phœbo Caducifer, ille
Pòst hominum generi (ne sæuis undiq; curis
Sollicitum, & multa fessum anxietate periret)
Consulit, & duris præstans solatia rebus,
Orphea Mercurij Thracem testudine donat.
Ille fides numero cumulat, septemq; duabus
Auget, & impulsis modulatus carmina neruis,
Se scopulos & saxa uidet siluasq; sequentes.
Hunc ubi fata uirum rapuerunt, tertius illam
Museus tenuit, patria qui insignis ab arte
Diuina rigidas mulsit dulcedine mentes.
In Lesbon multi latam post Orphea credunt,
Terpandriq; manu Nilotica regna petentis,
Memphiticis iterum importatam sedibus esse.
Linigeri hîc alio uenerantur ab orbe relatam

Laude sacerdotes multa, & qua dulce Deorum
Munus in æternum merito celebretur honore,
Instituere diem, & solennis gaudia festi.
Hunc aliæ ritum gentes moremq; secutæ
Mercurij coluere chelyn, quam post ea Musæ
Stellanti illatam iusserunt sidus Olympo
Engonasin iuxta iubar & diffundere flammas.
Hæc lyra tot populis celebratum nomen & annis,
Quid uelit, attenta iuuenes cognoscite mente.
Vnde hominum generi doctrina, scientia, uirtus
Contigerit, nobis ea quisue inseuerit autor
Semina, iucunda spectandum fabula nube
Præbet, & indignos à se sine fruge remittit:
Dum remouere oculis tenebras, & nubila dictis
Nulla ex parte queant cæcæ caligine mentes.
Esse Iouis sobolem perhibent, qui semina cœlo
Ducit, & excellens diuinas gnauus ad artes
Applicat ingenium: studij qui plenus amore
Laudatum uirtutis iter uestigat & arcem,
Cuius in introitu labor & patientia primis
Custodes foribus uigilant, aditumq; tuentur.
At lyra de tereti testudine facta, patentem
Non falsa nobis pingit sub imagine mundum,
Quem lustrare decet, quem mente oculisq; tueri,
Autoremq; Deum ex operis cognoscere mole.
Septenas numero chordas dixere tot artes,
Per quas tantarum liceat deprendere rerum
Noticiam, & teneræ deprensam infigere menti.
His totidem præsunt Musæ, quibus ipse notatur
Cognitionis amor, primæua ab origine menti
Insitus humanæ, duce quo licet abdita, sensu
Venati, tandem doctrinæ inuadimus arcem.

En

En lyra cœlesti concessum munere donum,
Quæ sparsos populos ab agris collegit in urbes,
Edocuitq; rudes animos & pectora mulsit.
Sed fortasse roges, cur Clio Calliopenq;
Figmenti solers non enumerauerit autor?
Nempe pari cunctas artes ditione tuentur,
Inq; omnes quid iuris habent: sed carmina uatum
Calliope curat, iucunda poëmatis autor.
Historiam Clio confert, æuoq; sequenti
Consulit, & prisci transcribit temporis acta.

Partim uerborum, rerum esse scientia partim
Dicitur, hoc septem lustrabimus ordine chordas.
Grammaticæ primus locus est: ne cætera dicam,
Cernite quos usus uel littera quælibet artis
Afferat, æternum si quid commiseris illi,
Conseruat, memoremq; facit, quocunq; uel anno,
Vel seclo relegas. Sic post tot lustra recentis
Nota manet nobis forma & præstantia mundi.
Sic scimus, nostri fuerit quis sanguinis autor,
Vt diuina leues uiolarint iura parentes.
Cuius ope & ductu redeat mortalibus æuum
Conuersis felix: qui ducat ad æthera callis.

Proxima succedit Dialectica, luxq; iubarq;
Ingenij quo se uires effundere posimt.
Artibus hæc cunctis famulatur, & inuia pandit
Oppositas rumpens moles, per aperta sequentem
Ducit in arua comes, neue erres, undiq; sepem
Obijcit, & certo concludit limite campum.
Nec pater Oceanus, qui tot uehit æquore merces,
Tot gemmas affert extremo Oriente petitas,
Tam iuuat humanæ diues commercia uitæ,

Ad reliquas quantum Dialectica commodat artes,
Hac quicunq; caret, cæcus, rationis egenus,
Ductorisq́; expers per deuia rura uagatur.
Hæc quasi Delphorum gladius, penitißima mentis
Ingreditur nostræ, sensusq́; & pectora stringit.
Sed nunquam tacita promittit commoda fronte,
Quæ modulo largo mensuraq́; ubere præstat,
Cum penitus firmis animo radicibus hæsit.

Rhetorice accedit comes, illi gloria uocis,
Quæq́; auditores moueat, facundia curæ est.
Hæc ea quod paucis retulit, diffundit & ornat,
Et totas linguæ dicendi laxat habenas.

Tres artes Logicæ totidem testudine chordas
Constituunt, totidem Musarum nomine sacras.
Prima Polymneiam ueneratur, nempe quod altæ
Insigat menti, memoriq́; in pectore seruet,
In chartas quicquid retulit, scripsitq́; libellis.
Præsidio Euterpes Dialectica digna uidetur,
Nempe quod immensa feruere cupidine rerum
Consuerint illi, quibus alma scientia cordi est.
Tertia Melpomenes operam sibi uendicat, illa
Namq; forum eloquio mulcet, delectat & ornat.
Hactenus in uerbis positas perstrinximus artes,
Quam rudibus licuit pro nostra ætate Camœnis.
Nunc mihi Terpsichore uelis maioribus ire
Alma dabis: rerum nunc ampla scientia chordis
Quatuor includenda uenit: tibi primus in illa
Attribuetur honos serie: tibi pondera cordi,
Cura tua est numeri, tibi debitus ordo probatur,
Ordinis & numeri præses facilisq́; magistra:
Te duce uela dabo atq; ignotis carbasa uentis.

Insita

Insita sunt homini diuinæ semina mentis,
Falsa nec esse Dei genus hoc perhibetur imago,
Ordinis id ratio, numeriq; scientia uerum
Intellecta probat: Quia quò diuinior auræ
Particulam quis mente gerit, felicius ille,
Vt numeros, alias quoq; tractat idoneus artes.
Hinc est quod pueris numerorum elementa putauit
Addiscenda Plato primum: Quia semina campus
Apta sibi, largo sub messem fœnore reddit,
Non secus ingenium, quo dux natura uocabit,
Promtius insequitur, dein non aliena recusat
Semina, iam proprijs excultum, admittere, donis.
Et, Neocles caussas cum forte rogaret eundem:
Conueniens homini cur sit sapientia soli?
Respondisse ferunt: Numeri quod calleat artem.
Hinc Samius sensu doctor lætatus eodem,
In numeris Sophiæ deposita exordia dixit.
Si quis & in numeris quæ sint arcana recludat,
Et sortes retegat, nec non ænigmata soluat:
Ille mihi Lybiæ citius memorabit arenas,
Quotquot & Ionio tollantur in æquore fluctus.
Idem Aemi citius frondes, fornacibus Aethnæ
Narrabit prima emissas ab origine flammas,
Omnia qui uersu bona commemorare laborat.
Tam superat media reliquas testudine chordas.
Proxima mensuræ ratio est, qua machina cœli
Tota, sed & uastus radio describitur orbis.
Qua loca, qua positas uelut extra sidera gentes,
Rumore & sola disiuncti agnoscimus arte.
Non opera excutiam, non pulcras dicere moles,
Quæ se sponte mouent, locus est: his blanda Thalia
Concedes aliud magis apto tempore carmen.

Namq; Geometricis quod floreat undiq; donis
Vita, tuum est munus, tibiq; hæc accepta feruntur.
Chordula blanda sonis, decus ingens chordula uitæ.
Musica nunc superest, qua quid iucundius orbi
Contigit, humani seu spectes gutturis artem,
Organa seu manibus pedibusq; impulsa, uel ore
Inflatas trepidante tubas, uel quicquid in illo
Est generis numero, Diuinum Musica donum,
Solamen miseris, curas fletusq; repellit,
Læticiam inducit, penetrat præcordia motu,
Intima corda quatit, uersat, stimulosq; ministrat.
Hæc est, quæ superos cœlo deducit ab alto,
Conciliatq; homines concordi pace ligandos.
Plura quid? hac Erato toti facit orgia mundo,
Tympanaq; impellit, lætasq; ad sidera uoces
Tollere securos adigit, cantusq; sub auras
Mittere, nec grauibus nimium pallescere curis.
Astrorum nobis ueneranda scientia restat,
Quæ superas ingressa domos, arcana recludit
Fata homini, spaciumq; ampli perlustrat Olympi.
Hac uitas, mores, taciti & penetralia cordis
Discimus, hac sortis ratio lethiq; patescit.
Hac Solis Lunæq; uias agnoscimus arte,
Errantesq; alias curuato limite stellas.
Hac pluuias scimus tempestatesq; serenas,
Hæc uentos nobis longe prædicit & imbres.
Edocet hæc anni spacium, disterminat illum,
In partesq; secat: quo quid magis utile uitæ
Vranie poterat superis e sedibus orbi
Afferre? illius sunt cognita tempora munus,
Illa rudes animos cœlestibus intulit oris,
Arcaniq; dedit caussas prædiscere fati.

Quid

Quid fidibus septem notet ingeniosa uetustas,
Iam puto perspectum notumq; quibuslibet esse.
Ad uos deuenio iuuenes, quibus integer æui
Sanguis, & æthereæ felicia semina mentis
Huc tribuere uiam: uobis testudo fidesq;
Mercurij peperere decus, constantia laudem
Auxit, & expositos manifesta in luce sequendum
Exemplum statuit reliquis. Sed numina cœlo
Huc delapsa uideri Phœbum mitesq; sorores,
Palladaq; & Maia genitum: tu prime NEANDER
Excipe pacata gratantis munera Phœbi
Fronte, audiq; libens tibi talia uerba loquentem:
Docte cliens, numero iam non indigne meorum,
Quem labor in studijs, quem nulla angustia fregit,
Quin, quod ad auspicium cœpisses tendere nostrum,
Progredereris iter: solamen molle doloris
Accipe decretos titulos: ea gloria seclis
Perpetuis durat, uiuitq; à funere uirtus.

Conticuit, stabat uicinus SCHENCKIVS illi,
Compellat tali quem mox Caducifer ore:
Te quoq; talis honor decet, hæc tibi gloria iure
Care datur iuuenis: quod iam facis, acriter urge,
Volue reuolue manu cœlestis dogmata uerbi.
Sic te BORNERO cognatum laude minores
Extollant simili, quantum hæc Academia fatis
Defuncto tribuit, nomenq; extendit in æuum.

Nulla mora, in medium procedit tertia Pallas,
Atq; his alloquitur SEIDLERVM candida dictis:
Cognita iam multis, tua se præstantia cœtu
Exerit hoc celebri: iam pleno gloria cornu
Se tibi diffundit, uenientem amplectere diuam.

En schola Roslebij, cuius tolerare labores
Non ullos piguit, tecum lætatur, & Vnster
Cum Nymphis inter glacies tua nomina cantat.
Desijt, affatur placidis Polyhymnia uerbis
CRACOVIVM: tibi digna tuus quoq; præmia sudor
Conciliat, tandemq́; decus laudesq́; petitæ
Vrgenti obueniunt, nostra dignißime cura,
Tu citharam cantusq; probas, tibi Musica cordi est,
Astrorumq́; uagos gestis inquirere cursus.
Sed te iura fori uerbosaq́; iurgia poscunt,
Inde tibi maior consurget tempore fama.
Insequitur dictis Euterpe, & talia fando,
SCHROEDERO titulum & dignos gratatur honores
Tu quoq; Liuonicis ad Elistri flumina terris
Huc ADRIANE pedes per scrupea saxa tulisti.
Vt memtem excoleres Phœbea sedulus arte.
Nec te uota tamen spesq; inconcessa fefellit.
Quandocunq; domum Deus aut fortuna uocabit,
Redderis patriæ titulis & honoribus auctus.
Post hæc Melpomene STENIVM amplexata, frequenti
In cœtu sic uerba iacit: Mihi quanta uoluptas,
Deq́; tuo inprimis consurgant gaudia honore,
Vix animus capere ipse potest: Sic feruida laudi
Tota tuæ faueo, quia dignus laude uideris.
Tu Latio sermone potens, Graiæq; peritus
Linguæ, iucundis demulces uocibus aures,
Dulcia felici depromens carmina uena.
Post hanc Terpsichore non longa silentia rumpens,
LANDSBERGI te læta canit, sicq; ora resoluit:
Et tibi conspicuo decretum nomen honore
LAVRENTI facunde datur: nunc iura foriq;
Arma urge, laudemq; tui æquiparare parentis

Incipe

Incipe, Fribergi quem curia tota patronum
Agnoscit, populus magna quem diligit urbe,
Molleq; decrepito senium fatumq́; precatur.

Nec mora, blanda ROSAM dictis instructa Thalia
Accedit breuibus, linguamq́; hoc carmine soluit:
Dulce nouenarum decus, & manifesta sororum
Gloria, dulcis amor noster, iucunda uoluptas,
Perge per inceptum studio procedere callem,
Sic te fama tuis uirtutibus æqua sequetur,
Sicq; tuo diues gaudebit patria honore
Snebergum, Cererisq́; ferax & opima metallis.

Post Erato paucis VVALTERI detinet aures
Vocibus attentas, & sic pudibunda profatur:
Multa quidem reliquis nostræ attribuere sorores,
(Nec uero inuideo) sed non minus esse uideris
Laude mea dignus, te multa peritia rerum,
Te pietas, te cana fides exornat & æqui
Indubitatus amor: præsta te ciuibus æquum
Quos colit hæc celebri collecta frequentia cœtu.

Exin GASSERI mores uultumq́; modestum
Vranie complexa, sonos hos pectore fudit:
Nec MARTINE seges tua uanis surgit auenis,
Spesúe animum fallit: titulosq; gradumq́; petebas,
Qui tibi cum multo nunc decernuntur honore:
Sic probitas animi, sic & doctrina meretur,
Quæ duo conspicuos faciunt & honoribus aptos,
Et populo caros toti, dignosq; fauore.

Vix ubi desierat cœlestibus aurea flammis
Diua: modis Clio sic orsa decentibus infit:
MATTHESI castris miles fidißime nostris,

Te

Te doctrina parem reliquis, & honoribus æquum
Esse facit: tibi cura scholæ studiumq; tenelli
Non sine fruge gregis Phyliræa creditur urbe.
Perfer & obdura, maiorem tempora famam
Nempe ferent, titulisq; auctus melioribus ibis.

Vltima Calliope facunda insignis ab arte,
GREGORIVM extrema positum statione pererrat
Luminibus tacitis, dein blandis pectora dictis
Mulcet, & in tales os soluit amica loquelas:
Sorte tibi extremus locus est non traditus arte,
Te quoq; Phœbus amat mecum, castæq; sorores
Mollia concedunt facili tibi carmina uersu,
Ergo alijs similes titulos & nomina portas.

Dixerat hæc: uento citius Geticaue sagitta,
Aëris in campos uastum per inane feruntur,
Et sedes repetunt notas, ubi carmina Apollo
Temperat in cœtu medius uocalia nutu.
Nuncq; lyram digitis, nunc pectine pulsat eburno,
Nunc citharæ uocem adiungit, cantuq; moratur
Et demulcet aues, sua quotquot in aëra pennis
Corpora librarunt: tam dulcia carmina pangit
Cynthius, Aonidum præses fraterq; Dearum.

Nunc cur uita loco ponenda scholastica primo
Tot sectas inter uideatur, dicere paucis
Aggrediar, sed uela legam, nec laxior ibo.

Principio nobis concedi postulo, Solis
Stellarumq; iubar uix esse adeo utile mundo,
Quam genus hoc uitæ, sine quo nec sanctius ullum,
Nec magis acceptum superis, nec dulcius orbi
Inuenies, toto si spectes nomina mundo,

Magna

Magna sono, rebus ieiuna, expertia ueri,
Maiestate sua quod præ se ferre uidentur.
Quas uero ob caussas laudandam iure putarim
Hanc uitam, quam uulgus iners uocat ocia, ludos,
Longa ubi futilibus fallantur tempora nugis?
Hæc primum oppositis uerbis ego uerba repellam,
Hicq; parum spacij fessis modicumq; quietis
Concedi, certa iuuenes ratione probabo.
Non generi humano diuinius æthere munus
Contigit, augustus quo se faber ille patentis
Mundi, plus animis placida communicet arte,
Quam quod eis ueri iustiq; inseuit amorem,
Quæ bona nota scholis tantum sunt, inde petuntur,
Inde emissa forum moderantur, templa frequentant.
Hæc certe ut promta possis cognoscere mente,
Hoc opus hic labor est, nec inertia pectora somno,
Sed uigiles decore hoc animi donoq; fruuntur.
Quam foret ast nostræ nomen miserabile uitæ,
Si leges nemo, nemo perdisceret artes,
Nemo diuini scrutatus dogmata uerbi,
Fœda saginati sequeretur gaudia uentris.
Si medicis nemo misceret pocula succis,
Astrorum nemo occasus ortusq; notaret.
Cimmerias certe satius tolerare tenebras
Esset, & æterna uitam traducere nocte,
Quàm tantis sine fine bonis in luce carere.
Sic præclara Dei florebunt dogmata uerbi,
Sic fora, sic aulæ uerum iustumq; uidebunt,
Egressi subeant si munia publica ludis.
Cur opus esse scholis credam, quare utile uitæ,
Arbitrer hoc hominum genus, hic paucissima longo
Ex argumento retuli: nunc esse sacratum

Acceptum-

Acceptumq; Deo mecum dilecta probabis
Calliope, nostri numen uenerabile coetus.
Nil adeo superis gratum est, nil sanctius aris
Afferri tribuiq; potest, quam uera tenellis
Instillare animis, primis ætatis ab annis,
Vt detestati mendacia, iusta sequantur,
Seu tonet unda maris, seu coelum fulmina spiret,
Atq; omnes in nos uertant sua prælia uenti.
Scilicet hic finis noster, sermonis hic usus,
Vt doceant alios alij, quæ semita coelo
Eiectos miserè, rursum inferat, unde salutis
Pendeat arbitrium nostræ, quis destruat orcum,
Frangat & insidias atq; atri Dæmonis astus.
Tum quibus humanæ sese inconstantia uitæ
Præsidijs, subita fortunæ læsa ruina,
Fulciat, unde graui liceat solatia luctu
Congerere, & multis petere apta remedia curis.
Horum plura scholis, quam regum discimus aulis,
Quam populo memoret facundus in æde sacerdos:
Ergo scholæ templis aulisq; hoc nomine præstant.
His operam quicunq; nauat, placet ille Tonanti
Plus, quàm Carmeli qui degit uertice montis,
Plus, quàm qui horrendis successit squallidus antris,
Aspectuq; hominum sese subtraxit eremo.
Desudat quicunq; scholis, præstantibus ille
Officijs homines deuincit, & optima uitæ
Commoda suppeditat. Neq; enim qui iurgia soluit
Caußidicus, subitò potiore feretur honore,
Quam qui uoce scholas placida, uirgaq; gubernat.
Ipse magistratu caruit, ludoq; resedit
Isocrates, animosq; rudes emollijt arte,
Sicq; Duces patrijs præstantes reddidit oris,

Consilijs

Consilijs qui se proprijs animoq; ferebant.
Doctus Alexandri comitatus castra Philippus,
In uita multos seruauit, uulnera succis
Lota fouens medicis: sed non minor arte Galenus,
Dum monumenta domi corpus collegit in unum,
Consulit æternum mundo, totaq; petitum
Posteritate trahit nomen, quod nulla futuri
Temporis absumit series, illustris in æuum
Fama uiri durat, uiresq; acquirit eundo.
Hac par est ratione bonos & laude moueri,
Vt uita dignos assuescant sumere mores,
Neu segnes iaccant, & ad ocia turpia mente
Appliciti, luxus & noxia castra sequantur.
Restat ut adijciam, cur iucundißima uita
Vita sit in ludis transacta & dulcibus umbris.
Nempe quod in toto nil sit iucundius orbe
Noticia rerum, quæ pectora fessa relaxat,
Quæ recreat sensus: augescit at ipsa uoluptas,
Si, quemcunq; uelis, & de qua complacet arte
Compellare queas, neq; sit metuenda repulsa,
Quin uoti compos, quod quæris, noscere poßis.
Hic alij instigant alios, exemplaq; præbent,
Vt similes animus uenari discat honores,
Nec studij parcat noctesq; diesq; labori.
Recte igitur cœtus hos extra, docta uetustas
Non uitam, sed mortis opus tenebrasq; locauit.
Plura forent memoranda quidem, sed contraho uela,
Et uobis, iuuenes, puerilis carmina Musæ
Offero, placato, si non indigna uidentur,
Vos uultu excipite, & posthac quibus undiq; terris
Vixeritis, nostri memores saluiq; ualete.

FINIS.